



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Quis sit fidelis verbi dispensator. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CAP. III. *Fidelitas imprimis in Parocho requiritur.*

IC jam inter hujus cælestis panis dispensatores quæritur, ut fidelis quis inveniatur: Fidelis, inquam, servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis escam in tempore. Beatus ille servus, quem, quum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. sin secus, veniet Dominus servi illius in die quo non sperat, & hora quam ignorat, & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, ubi erit fletus & stridor dentium.

CAP. IV. *Quis sit fidelis verbi dispensator.*

IS autem fidelis est dispensator, attestante divinisimo Ioanne, cujus scopus unicus ille Christus est, & cujus spiritus confitetur, Christum in carne venisse; id est, ut divus Paulus interpretatur, qui docet, apparuisse gratiam Dei & Salvatoris nostri omnibus hominibus, ad erudiendum nos, ut, abnegantes omnem impietatem & secularia desideria, sobriè, justè, & piè vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Qui, inquam, docet, eundem Christum Iesum, Dominum nostrum, hominem factum, ut daret semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Quibus verbis sanctus Paulus duas in Christo naturas, Verbi scilicet & Carnis, indissolubili vinculo coherentes, & utriusque naturæ rationem, complectitur. Verbi, quatenus erudit nos, docens, quæ sit voluntas Patris; quam facientibus denunciat præmium, prævaricantibus vero pœnam æternam. Carnis vero, quatenus datus & immolatus est pro nobis, in ara Crucis, Agnus immaculatus & victima tollens peccata mundi, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus, & eadem cogitatione armemur: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis; ut jam non desideris hominum, sed voluntate Dei, quod reliquum est in carne temporis, vivamus. Omnis autem spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & jam in mundo est.

CAP. V. *Omnis Scriptura ad geminam charitatem exigenda.*

IS item fidus est minister verbi, qui omnem Scripturam ad Christianam exigit charita-

tem. Charitas enim Christianissimum consummat; quemadmodum apud divum Paulum legimus: Finis præcepti, est charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Et est potissimum illud indicium, quo Christiani esse comprobamur. In hoc (ait Christus) cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Vnde beatus Augustinus, in libris de doctrina Christiana, brevissimam methodum ad pervestigandas intelligendasque Scripturas demonstrare volens: Quisquis Scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut in illo intellectu non ædificet geminam charitatem Dei & proximi, is nondum intellexit, quod legis ac Scripturarum summa, finis ac plenitudo, sit dilectio; quæ duobus mandatis comprehenditur; nempe, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex tota virtute tua; & diliges proximum tuum sicut teipsum; & quemadmodum vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis. in his duobus mandatis universa lex pendet & Propheta. Quicumque ergo ad hanc amulsum doctrinam suam attemperat, is nunquam potest perniciosè errare.

CAP. VI. *Summa Evangelicæ prædicationis.*

EZechiel vero Propheta summam suæ prædicationis Dominum enarrantem facit, hisce penè verbis: Vivo ego, dicit Dominus; nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur impius & vivat. justitia justus non liberabit eum, in quacunque die peccaverit; & impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. quare qui egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque judicium & justitiam, & in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum, vita vivet & non morietur. Quod Christus brevius complexus: Pœnitentiam, inquit, agite; appropinquavit enim regnum cælorum. Sed de his aliàs locupletius. Suffecerit hîc, utcunque indicasse scopus.

CAP. VII. *Parocho cautissima sollicitudine in prædicatione verbi utendum.*

QUOD autem sollicitus Parochus provinciam, cui admotus est, gubernare satagat, haud existimabit, se alicui levi muneri, sed omnium gravissimo ac difficillimo, præfectum; tantæ nimirum difficultatis, ut verbi prædicatorem, undiquaque absolutum, vix unum è millibus reperias. Non idem est ovium palatum; magna in pascendis varietas: quod